



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Titvlvs XXVIII. De officio Vicarij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

**TITVLVS XXV.**  
**DE OFFICIO PRIMICERII.**

**Q**uem alii Primicerium appellant, eod quod in cerata tabella primum locum post Archidiaconum & Archiprefbyteum obtineat, alii vocant Scholasticum, Cantorem, seu Praecentorem: Officium illius describitur in *c. uni. h. t.* Et si in Ecclesia illa praeminentiam habeat

inter alios Canonicos, ita ut illos ratione officii sui in Choro, Capitulo, Processionibus praecedat, dignitatem seu Personatum habere dicitur, quod idem de Theaurario, Custode, Succentore dendum est.

**TITVLVS XXVI.**  
**DE OFFICIO SACRISTÆ.**

**S**acrista in aliis quibusdam Ecclesiis Theaurarius dicitur; ejus curæ omnis sacrorum vasorum, vestimentorum

Ecclesiasticorum, luminum comparandorum, & totius Theauri Ecclesiastici cura commissâ est, juxta *c. uni. h. t.*

**TITVLVS XXVII.**  
**DE OFFICIO CUSTODIS.**

**C**ustos est quasi Minister Sacristæ, & ideo illius officium facillè ex prior titulo colligitur, & ex duplici hujus

tituli capitulo ac *extravag. quia custos. uni. h. t. inter communes.*

**TITVLVS XXVIII.**  
**DE OFFICIO VICARII.**

**V**icarius in genere dicitur, qui vices alterius gerit, in cujus locum, aucto-

ritate legitimâ substituitur. Sunt autem Vicariorum duo genera. Alii dicuntur Vica-

Vicarii in divinis: alii sunt Vicarii jurisdictionis in foro contentioso externo. De utroque hoc Vicariorum genere fit.

## SECTIO I.

## De Vicario in Divinis.

Vicarii in Divinis dicuntur illi, qui in Divinis ministeriis & cura animarum, seu in illis, quæ ad forum internæ conscientie pertinent, vices alterius agunt; & horum Vicariorum alii sunt perpetui, alii temporales, de utrisque agendum.

## §. I.

## De Vicariis perpetuis seu intulatis.

Vicarius perpetuus dicitur ille, qui Episcopi auctoritate canonicè est institutus in Ecclesia aliqua, certâ ipsi congruâ portione ex annuis Ecclesie proventibus, tanquam laboris ac operis mercede constitutâ, ita ut amoveri non possit, nisi per privationem aut depositionem ob causam à jure approbatam. Ejus nominatio & præsentatio ad Rectorem principalem in Ecclesia, Prælatum, seu Dignitatem in Canonatu, aut beneficio, cui Parochia est perpetuo connexa, præcedente tamen præsentali examine, ut colligitur ex *c. ad hoc 3. h. t.* plerumque pertinet; institutio verò propriè dicta ad Episcopum, cuius etiam est, de congrua portione, Vicario persolvenda, determinare, quæ plerumque esse solet tertia pars reddituum, nonnunquam tamen major aut minor etiam. Constitui potest autem Vicarius perpetuus auctoritate

Episcopi in Ecclesiis Parochialibus; alteri loco, piæve causæ, vel beneficio unitis; vel si exigat Ecclesie Parochialis amplitudo, & populi multitudo, capellam, seu Ecclesiam filialem erigere, quæ subdita quidem sit Ecclesie Matrivi, sive Principali, per Vicarium tamen perpetuum, cum consensu & auctoritate Episcopi à Rectore principali nominatum, administraretur: vel si quis in dispensatione, plures Ecclesias curatas, residentiam personalem requirentes, obtineat; & quamvis in talibus Ecclesiis perpetuò unitis, licet Vicaria perpetua instituta sit, Vicarii etiâ temporales constitui possint, potest tamen Episcopus auctoritate Concilii Trident. *sess. 7. c. 7. de refor.* in illis constituere Vicarios perpetuos, si pro bono Ecclesiarum regimine expedire videbitur: si tamen Ecclesie perpetuò unitæ per Vicarium perpetuum deserviat, habet hic & nunc jus reale, & verum titulum beneficii Canonici, non quidem directum, qui penes Rectorem principalem est, cujus vices hic gerere dicitur, sed utilem, portionis, ex annuis redditibus sibi in perpetuum ab Episcopo assignatum, ita ut talis Vicaria perpetua beneficio propriè dicto, & curato æquiparetur, & quæ de jure statuta sunt circa Ecclesias Parochiales, vel de Rectore principali, etiam in his Vicariis, & Vicariis perpetuis observari debent *juxta Clem. 6. h. t.* habeatque eandem potestatem, qui vices Parochi obtinet, ita ut tota cura actualis, quo ad exercitium, huic Vicario commissa sit, neque Rector principalis, penes quem cura tantum est in habitu, immiscere se quoad exercitium curæ tali possit, sine consensu & delega-

ione Vicarii talis perpetui) *juxta gloss. in c. super eo b. v. annexa de prob. in 6.* nisi sit unio talis Ecclesie facta pleno jure alteri Ecclesie, tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia, ita ut divisio unius v.g. Ecclesie, ob distantiam facta quidem sit, subiecta tamen hæc maneat tanquam filialis, alteri Ecclesie, ut matrici, & unus idemque sit utriusque Ecclesie intitulus Rector, quamvis alteri per Vicarium temporalem deserviat, quo in casu cura tam habitualis quam actualis penes Rectorem principalem esse censetur; sicuti autem non potest Parochus alium sibi similem substituere Parochum, ita nec Vicarius perpetuus alium sibi similem perpetuum Vicarium; & sicut ille ad perpetuam residentiam ita obligatur, ut tamen ad breve tempus abesse possit, cum vel etiam sine licentia Episcopi sui, juxta absentie rationem, & receptam in loco consuetudinem, constituto interea Vicario temporali, ita potest etiam Vicarius perpetuus: cujus officium non expirat per mortem principalis Parochi, ita ut possit à successore amoveri, sed præcisè per mortem ipsius Vicarii, vel per privationem ob crimen, aut causam, cui à jure privatio annexa est.

## §. II.

*De Vicariis temporalibus, & cooperantibus Parochorum.*

Vicarius temporalis dicitur ille, qui legitima auctoritate personæ Ecclesiasticæ in locum alterius sine institutione, ad tempus constituitur, & sufficitur, congrua portione ei assignata, ita tamen ut ad nuptum illius, à quo constitutus est,

vel cujus vices gerit, amoveri possit; ad qualem Vicarium constituendum plures quidem de jure communi causæ conceduntur, & approbantur, titulum tamen propriè, & jus in parochia, aut beneficio, talis non habet, sicut habet Vicarius perpetuus, sed jure parochiali, & curâ animarum penes rectorem principalem in actu etiam manente, Vicarius eam exercet ex commissione, & nomine rectoris principalis constituentis eum, ita ut Vicarii talis potestas expiret, non tantum per mortem principalis rectoris, sed per revocationem etiam hujus constituentis; & cum eadem sit jurisdictio Vicarii talis substituti cum jurisdictioe substituentis Parochi, rectè dicitur, quasi ordinariam jurisditionem habere, & parrem suæ jurisditionis saltem ad unam alteramve causam delegare potest.

Alia tamen est ratio Cooperatorum, quos Parochi, veluti ordinarii ovium sibi commissarum Pastores, assumere possunt, & suam illis jurisditionem, si sint ab Episcopo approbati, delegare, ita ut tales cooperatores jurisditionem sibi delegatam habeant, quam nec in casu particulari subdelegare possint sine commissione Parochi.

## SECTIO. II.

*De Vicario Jurisdictionis.*

Vicarius jurisdictionis dicitur ille, qui in foro contentioso & externo jurisdictionem vice aliorum exercet. Duplicis autem generis etiam hi Vicarii sunt; alii enim sunt à lege sive canone constituti, quibus ordinaria jurisdictio, distina

sta

sta à jurisdictione principali, cujus vices gerunt, competit, quales Vicarii sunt Archidiaconi *c. 1. de officio Arch.* nisi per consuetudinem, aut statuta particularia hujus jurisdictione expiraverit, & hinc de his Vicariis nihil dicendum ultra: alii sunt ab homine, à superiore scilicet ordinario, ut vices illius circa jurisdictionalia exercent, quales sunt hodie Vicarii generales, qui ad totam diocesim ab Episcopo constituti sunt; & Vicarii foranei seu rurales, qui ad certum tantum diocesis districtum, & particularem locum jurisdictionem habent, de quibus supra dictum aliquid, cum de officio Archiepiscopi generalis dictum est. De Vicario ergo generali sit.

## §. I.

## De Vicario generali, seu officiali Episcopi, &amp; ejus constitutione.

Vicarius Episcopi alius est simpliciter generalis, cui administratio tam in spiritualibus quam in temporalibus, quoad totam diocesim, & omnes causas commissa est; alius autem generalis secundum quid, vel in spiritualibus tantum, vel in temporalibus tantum. Illi absolute Vicarii dicuntur, vel cum addito Vicarii in spiritualibus, & in quibusdam diocesis ab officiali Episcopi non distinguuntur (in aliis tamen distinguuntur, ita ut qui principalis est, & cui commissa sunt talis diocesis causae, absolute Vicarius dicatur, alter vero huic subiectus, qui Consistorio v. g. tantum praest, & cui certum tantum causarum genus commissum est, Officialis absolute dicatur) quibus etiam Apostolica rescripta expedire

concessam est, & ut esse possint sedes Apostolicae delegati, cum hoc non competat Vicario in temporalibus tantum, qui Laicus esse potest, & communiter oeconomicus appellatur, aut officiali specialiter ad certas tantum causas deputato, nisi aliunde dignitatem in Ecclesia obtineat; ad quod autem se extendat utriusque hujus Vicarii officium, ex consuetudine magis, & literis commissi ab Episcopo officii desumi debet, quam ex jure communi: quamvis etiam ad Vicarium generalem omnes causae jurisdictionales Ecclesiasticae, & ad Vicarium in temporalibus, omnis jurisdictione in temporalibus, tam in iudicio quam extrajudicium, tam meri quam mixti imperii, potestas etiam alienandi bona temporalia per se pertineat, potest tamen Episcopus constituens tales Vicarios, certa quaedam sibi reservare. Teneatur autem ordinariè constituere Vicarium generalem, cum solus omnibus causis expediendis non videatur sufficere, ita ut si negligens sit in constituendo tali Vicario, Archiepiscopus terminum praefigere illi possit, intra quem Vicarium constituat, aut a se post elapsum terminum constitutum recipiat. Quin imò non tantum unum, sed plures etiam Vicarios generales, cum eadem in solidum jurisdictione constituere potest, si facilius expeditorum negotiorum ratio hoc persuadeat, prout asserit *gloss. in clement. 2. V. principalis de rescript.* quo in casu rescripta Pontificia Vicario generali seu Episcopi officiali inscripta, ab eo, qui principalior est, expedienda erunt, si tamen unus principalior sit, cum nomen absolute positum stet pro principali; vel si

neuter sit altero principalior, ille Vicarius ad expediendum hoc rescriptum videbitur delegatus, cui impetrans rescriptum hoc prius obtulit, si nihil opponat, contra quem tale rescriptum impetratum fuit, vel si opponat incertitudinem delegationis, suspensa manebit delegatio, dum à Pontifice declaratio habeatur. Sicuti autem in temporalibus Vicarius Laicus esse potest, ut dictum, ita qui in spiritualibus Vicarius est, Clericus esse debet (cùm Laici incapaces sint de iure can. spiritualis jurisdictionis) non quidem in sacris aut maioribus constitutus, nisi in Pontificalibus etiam Vicarius sit, prout communiter esse solent, qui Episcoporum sunt Suffraganei, sed prima saltem tonsura initiatus, qui habitum & tonsuram deferat, ut gaudeat privilegio clericali, & qui non sit conjugatus, ætatis saltem 25. annorum inchoatorum, à moribus & doctrina sufficiente instructus, & non sit ordinis mendicantium *clement. 1. de regularibus*, & quamvis ad constituendum illum non requiratur substantialiter scriptura, sæpè tamen hæc ad probandam & colligendam illius potestatem requiritur.

## §. II.

*An Vicariatus sit Ecclesiasticum beneficium vel dignitas, & an iurisdic-tio Episcopalis sit ordinaria an delegata?*

Quod Ecclesiasticum beneficium non sit Vicariatus Episcopalis, satis probatur ex definitione beneficii Ecclesiastici, quod debet esse jus perpetuum, & in titulum stabilem conferri, quæ non conveniunt Vicariatu huic, à quo ad nu-

tum Episcopi amoveri quis potest. Est tamen Vicarius generalis in dignitate Ecclesiastica constitutus, quia habet præminentiam cum iurisdictione conjunctam *gloss. 1. in clement. 2. V. delegatus de rescriptis*, utrum autem iurisdic-tio illius ordinaria sit, an delegata, in utraque partem probabiliter disputatur. Mihi probabilius, & iuri conformius videtur, quod Vicarii generalis iurisdic-tio sit ordinaria, & non delegata tantum, ut tenet *gloss. in c. 2. V. officialem h. t. in 6. & gloss. in c. Romana 3. V. generaliter de appellat. in 6.* & ratio probat, quæ vult non dari appellationem à Vicario ad Episcopum, cùm tamen ad delegantem datur appellatio *c. super questionem 27. S. porro de offic. deleg. ergò iurisdic-tio Vicarii non est delegata, sed eadem potius cum iurisdictione ordinarii, quæ ordinaria est*, ita ut Episcopus suo nomine & principaliter iurisdictionem suam exercere dicatur, Vicarius verò accessorie, secundario, & nomine alieno, ipsius scilicet Episcopi, nisi per speciale mandatum specialis illi causa demandata esset, quo in casu ad hunc decidendum, delegatam ab homine iurisdictionem habere censeretur.

## §. III.

*De illis, quæ Vicarius Episcopi facere potest, vi officii sui generaliter sibi commissi.*

Vicarius generalis Episcopi ex officio suo omnes causas ad Episcopalem iurisdictionem pertinentes expedire potest, præter illas, quæ speciale mandatum requirunt *c. licet 2. h. t.* ita ut præsumptio quidem stet pro Vicarii potestate, nisi

nisi vel ex jure scripto, vel ex recepta consuetudine probari possit, quod causa aliqua specialiter reservata sit Episcopo, hæc tamen in mandato generali plenam & liberam potestatem concedente, ad omnia faciendâ, quæ possit Episcopus, etiam si clausula addita sit, communicari ea, quæ speciale etiâ mandatum exigant, non comprehensa videatur, nisi specialiter exprimat, ut gloss. asserit in *c. 2. h. r. in 6. V. committantur*: & probari potest argument. *c. qui ad agendum 4. de procurator. in 6.* vel nisi exprimat saltem innum aliquid specialem commissionem requirens, & clausula generalis de omnibus aliis, speciali mandato indigentibus addita fuerit; quo in casu poterit quidem Vicarius generalis alia etiam non expressa, quamvis speciale mandatum requirerent, exequi, minora tantum tamen expressis, vel æqualia, non autem majora. Hæc tamen omnia plenius intelligentur ex sequentibus. Sit ergo.

## §. IV.

*De iis, quæ Vicarius generalis non potest facere, sine speciali commissione Episcopi; & in primis, de potestate cognoscendi causas criminales, matrimoniales, & alias graviores expediendi.*

Inter causas, quæ speciale commissionem exigunt, neque in officio Vicariatus generaliter commissio, comprehensæ censentur, numerantur causas criminales primò, ut patet ex *c. licet 2. h. r. in 6.* (quæ hæc causæ inter negotia majora reputantur, cum in illis agatur de puniendo graviter delincente) nisi inquirat tantum & cognoscat de delictis, non ut ipse puniat, sed ut ad Episcopum

referat; vel nisi inquirat tantum ad emendationem, & scandala avertenda; vel nisi civiliter tantum de delicto aliquo agatur; vel nisi pœnæ tantum leves, mulctæ v. g. peculariæ, aut aliæ similes imponendæ essent, quibus in casibus etiam sine speciali commissione in causa tali criminali dicto modo procedi potest: quod si tamen expressè commissio ab Episcopo fuisset Vicario generali gravium delictorum punitio, non potest tamen ille pœnam à sacris canonibus constitutam, in mitiorem mutare, sine speciali etiam quoad hoc commissione.

Secundò numerantur ab aliquibus inter causas exceptas ab ordinario Vicariatus officio causæ matrimoniales, quia tam de jure antiquo, *c. accedentibus 12. de excess. Pralat.* quam de jure Trident. *sess. 24. c. 20. de reform.* causarum matrimonialium cognitio Episcopalis dignitatis esse dicitur, & passim causæ matrimoniales criminalibus æquiparantur, ac inter arduas numerantur *c. penult. de integ. restit.* valde tamen probabile est etiam contrarium, quod ex officio generali jus habeat cognoscendi causas matrimoniales Vicarius generalis, prout colligi potest ex *c. 1. de frigidis & c. junct. gloss. V. missum, & ex c. final. de cognat. spirit.* cum causæ matrimoniales non sint difficiles aded, & arduæ, ut à solo Episcopo cognosci, & expediti possint; & in relat. *c. penult.* æquiparentur criminalibus in hoc tantum, quod per arbitros cognosci non possint; Trident. verò & *c. accedentibus* non adimat Vicario generali jus cognoscendi causas matrimoniales, cum eadem illi sit cum Episcopo jurisdictio, sed inferioribus tantum Episcopo

copo Prælati, qui distinetam jurisdictionem ab Episcopo habent, uti sunt Archidiaconi, in quibusdam partibus, Decani rurales &c. Attendenda tamen est hac in re consuetudo diœcesis.

Tertio non potest Vicarius vi commissionis generaliter sibi factæ, diœceses visitare; synodum congregare, ultimas pias voluntates exequi, litteras dimissorias dare; res Ecclesiæ alienare; causas feudales cognoscere; aut juramentum fidelitatis à Vasallis, qui feudum Episcopale habent, recipere; indulgentias concedere; ea, quæ ordinis Episcopalis sunt, exercere; nisi sit in Pontificalibus etiam Vicarius; nec alteri potestatem concedere exercendi in diœcesi, cujus Vicarius est, Pontificalia, de quibus tamen, uti & pluribus aliis consulendum mandatum Vicariatus, & recepta consuetudo.

## §. V.

*An Vicarius Episcopi, vi generalis mandati, sine speciali commissione, possit conferre beneficia Ecclesiastica, vel aliter circa illa disponere?*

**E**X c. cum in generali h. t. in 6. satis patet, quod vi commissionis suæ generalis non possit Vicarius generalis beneficia conferre; neque enim potestas illius, quæ ob necessitatem aliquam in subsidium Episcopi instituta est, ad liberales donationes, qualis est beneficiorum collatio, extendi debet (& hinc potest Episcopus per specialem gratiam concedere Vicario suo potestatem, vel per totam diœcesin conferendi beneficia, ad suam collationem, de jure communi spectantia, vel ad certa tantum

beneficia, aut certi cujusdam districtus, aut certæ personæ) neque potest Vicario ab Episcopo committi simul admittendi resignationem certi beneficii, & conferendi tale beneficium potestas, quia in tali casu committeretur beneficii, nondum vacantis conferendi potestas, quod fieri non potest; si prius tamen, resignationem certi beneficii admittendi sit concessa potestas, potest ejusdem postea beneficii conferendi dare potestatem Vicario Episcopus juxta gloss. communiter receptam in c. deliberatione 4. §. prohibemus V. cuicumque de off. legat. in 6. sicuti autem ex eo, quod sit concessa potestas Vicario resignationes liberas admittendi, concessa non videtur potestas conferendi talia beneficia, sic non est concessa potestas tales beneficiatos suis beneficiis privandi, cum hæc potestates diversæ sint, & specialis illa concessa gratia, juri communi contraria, sit strictè explicanda, prout in pluribus casibus attendi debet. Neque tamen per hoc, quod Vicario suo conferendi beneficia potestatem contulerit Episcopus, censetur se ipsum eâ privavisse, sed potest adhuc per se ipsum talia beneficia conferre, & prævenire Vicarium, argu. c. dudum 14. §. nos igitur de præbend. in 6. & si dubitatur, quis altero prior contulerit, præferenda semper est Episcopi collatio.

## §. VI.

*An, & qualis potestas dispensandi, vel absolvendi, Vicario competat ex vi officii sui?*

**U**T dispensare possit Vicarius in votis, juramentis, impedimentis, & legibus



legibus canonicis, specialis concessio necessaria est, nisi ab ipso jure commissa sit hæc facultas Vicario (prout dat potestatem dispensandi in denuntiationibus matrimonialibus, & promulgandi ac decernendi excommunicationem ad restitutionem inventorum) vel nisi casus sint frequenter contingentes, prout dispensat quoad jejunia, festa &c. & quamvis Episcopus Vicario suo potestatem committere possit dispensandi in casibus per se Papalibus, à Pontifice tamen vel Concilio, Episcopis ratione suæ dignitatis Episcopalis per generalem concessionem commissis, qualiter dispensare possunt in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ illâ, quæ oritur ex homicidio voluntario &c. non comprehenduntur tamen hi casus in generali tantum Vicario facta, in omnibus casibus Episcopalis dispensandi, commissione: & quia delegatus à Principe subdelegare potest, ideo potest etiam specialiter sibi à Pontifice commissas causas, suo Vicario subdelegare Episcopus, nisi videatur personæ industria electa, quæ si moverit Pontificem ad delegationem huic personæ faciendam, nec Episcopus suo Vicario causam talem subdelegare potest; nec immiscere in causâ talis expeditione se potest Episcopus, si Vicario à Pontifice facta fuerit delegatio. Non tamen extendenda hæc licentia est ad absolvendum à casibus Papalibus, qui per accidens tantum ad Episcopum devolvuntur ob impedimentum v. g. aut difficultatem adeundi Pontificem &c. absque speciali Vicario facta potestate, nam hoc ipso, quod talia ad Episcopum

non spectent jure communi, & ordinario, sed ex speciali privilegio, consequenter non competunt etiam Vicario ex commissione generali, & jure communi. Quin etiam in generali concessione Vicariatus, non venit potestas absolvendi à casibus Episcopo reservatis, in foro interno, sed debet Vicarius speciale ad hoc habere mandatum, cum ex regula in generali §2. de reg. jur. in 6. hæc talia in concessione generali non comprehenduntur. Consulenda est recepta consuetudo circa hæc talia.

## §. VII.

*An Vicarius generalis Episcopi alium sibi substituere possit, & in quo loco exercere suam jurisdictionem possit?*

**Q**uamvis ad breve tempus ob valetudinem vel necessitatem aliam possit Vicarius generalis alium sibi substituere c. 1. h. t. in 6. non potest tamen alium sibi similem absolute sibi subrogare ad longum tempus, argu. c. Clericus 4. h. t. quia nullus potest suum officium alteri absolute committere, nisi ex legis, aut Principis beneficio hoc illi concessum sit. Potest tamen vi commissionis generalis unam aut alteram causam alicui delegare, cum in his causis, quæ vi officii sibi competunt, sit iudex ordinarius, & consequenter alteri delegare possit. Potest autem Vicarius hic in quovis diocesis loco non exempto à jurisdictione Episcopi, suam jurisdictionem exercere, licet ordinarium suum tribunal habeat in loco consistorii Episcopalis, cum enim eadem sit Vicarii, quæ Episcopi est jurisdictione, Episcopus autem possit in quovis suæ diocesis loco non exempto

eam exercere, consequenter etiam poterit Vicarius.

## §. VIII.

*Quis cognoscere possit de delicto, aut negligentia Vicarii Episcopalis, eumque punire?*

**S**I delinquat, ut persona privata, Episcopus ipse iudex est, & privare eum potest, quia in talibus, quæ agit ut privatus, non gerit vices Episcopi: si verò delinquat in rebus ad officium suum pertinentibus, ita tamen ut Episcopus non sit in culpa, ad Episcopum pertinet, de delicto tali & negligentia cognoscere, & punire eum: si verò etiam ipse Episcopus in culpa sit, causam talem cognoscere, & punire Vicarium, ad Archiepiscopum spectat, prout sumitur ex *c. 1. b. 1. 1. n. 6. junct. gloss. V. rationabili causa*: cum enim factum à Vicario censeatur in tali casu factum ab Episcopo, consequenter ne in propria causa iudex dicatur Episcopus, Vicarii puniatio, & causæ talis cognitio ad Archiepiscopum spectabit, ita ut huic eum sistere etiam debeat Episcopus, si petatur.

## §. IX.

*Quibus modis finiatur, & cesset officium ac jurisdictio Vicarii Episcopalis?*

**C**essat variis modis. 1. Per mortem ipsius Vicarii, nam mors omnia solvit. 2. Per propriam renuntiationem factam ab ipso Vicario, expressam vel tacitam, nisi animo non redeundi, ex Dicocelesi, in qua constitutus erat Vicarius, discedat. 3. Per mortem Episcopi, aut renuntiationem Episcopi admissam à Su-

periore, vel depositionem, aut translationem Episcopi factam ad aliam Ecclesiam, cum enim ratione jurisdictionis eadem reputetur Episcopi & Vicarii persona, consequenter hoc jurisdictionem amittente, amittet eam etiam ille. 4. Cessat jurisdictio Vicarii, saltem quoad exercitium, & suspensa manet, si Episcopus in bello v. g. capiatur, ab hæreticis, paganis, aut schismaticis, cum enim in tali casu Episcopus habitualiter quidem retineat jurisdictionem, exercitium tamen huius suspensum maneat, & interea ad Capitulum devolvatur juxta *c. si Episcopus 3. junct. gloss. V. sed Capitulum de supplend. neg. prat. in 6.* consequenter idem etiam de Vicario Episcopali dicendum; ex quo *c. suspensa* etiam, & impedita manet jurisdictio Vicarii, si Episcopus excommunicatus, suspensus, vel interdictus sit, uti & jurisdictio Subvicariorum ab ipso Vicario constitutorum, si hic excommunicatus, suspensus, vel interdictus sit, prout sumitur ex *c. Romana 1. b. 1. in 6.* ita ut acta eorundem facta sint invalida, quamvis reijam non integræ supervenerint, dictæ censuræ, nisi hic non tam Subvicarius, qui eandem cum Vicario potestatem habeat, sed delegatus tantum sit, distinctam habens jurisdictionem à delegante, cujus jurisdictio circa res jam cæptas non expirat per censuras delegantis *argu. c. 19. 2. de off. delegat.* prout etiam jurisdictio Vicarii in causis delegatis non expirat, re jam cæptâ, per supervenientem Episcopi censuram. 5. Denique finitur & cessat potestas & officium Vicarii generalis per revocationem ab Episcopo constituyente factam etiam sine consensu Capituli

pituli Cest enim ad nutum Episcopi amovibilis Vicarius juxta gloss. *Clement. 2. V. per Elect. de rescript.* ita tamen, ut gesta ab illo etiam post revocationem valeant, si hæc revocatio Vicario nondum legitime intimata sit, vel si communis error populi eum adhuc pro Vicario habeat, juxta *l. Barbarius 3. de off. Prat.*

## §. X.

*De Vicario Capituli, sede Episcopali vacante.*

**N**on tantum potest, sed debet etiam, de jure novissimo *Trident. sess. 24. c. 16. de refor.* Capitulum Ecclesie Cathedralis, vacante aut quasi vacante sede Episcopali, intra 8 dies post mortem Episcopi Vicarium constituere, vel constitutum ab Episcopo confirmare, ita ut in casu negligentis quoad hoc Capituli ad Metropolitanum illius constitutio devolvatur; vel in casu exemptæ Ecclesie ad seniores aut propinquiores Episcopum. Eadem autem est Vicarii talis capitula-

ris jurisdictione, quæ est Vicarii Episcopalis, cum enim in tali casu omnis jurisdictione Episcopi in Capitulum devolvatur, consequenter Capitularis Vicarius idem poterit, quod Episcopalis, ita tamen, ut speciali etiam commissione ad multa indigeat, sicut indiget Vicarius Episcopalis, & insuper etiam ea non possit, quæ de jure non potest Capitulum, cum illius potestas non possit esse major potestate Capituli, dependens tota tam quoad restrictionem, quam ampliacionem à Capituli potestate, & expirans etiam, quando novus Episcopus fuit confirmatus, & Episcopatus possessionem accepit, nisi prius revocetur.

## §. XI.

*De Vicario Papa in urbe, ejusque potestate.*

**V**ideatur de hac materia in nostris partibus nihil scitu necessaria *c. penultimum h. r.*

